

Num Latine somniare liceat

Si qui audiunt me interdum cum amicis collegis discipulis Latine loqui, Latinas scholas in universitate habere, cantica etiam Latina et componere et cantare, ei nonnumquam cum multa apte aut inepte interrogant, tum id quod maximum uidetur: num Latine noctu somniare soleam. Id cum nego, exclamant: Audite, audite! Ne Valahfridus quidem, qui Latinissimus sibi videtur, Latina somnia videt. His igitur finibus Latina lingua circumscripta est. Ad rationalem partem mentis ille sermo pertinet, non penetrat in intimos affectus pectoris, qui vernaculis linguis reservati sunt. Nam in somniis, ut norunt omnes et Freudius confirmavit, verissimi sensus animorum manifesti fiunt. Valeat igitur lingua Latina ad acuenda ingenia: non valet ad ea quibus ratione carentibus animi tamen commoventur.

Quibus ego respondeo: Nulli sunt isti termini, quos vos Latinae linguae ponitis. Quot poetae non solum temporibus antiquis, sed etiam aetate posteriore et recenti, quaecumque senserunt Latinis uersibus commiserunt! „Spirat adhuc amor“, ait Horatius, non Sapphus modo aut Properti, sed etiam Heinsii, Secundi, aliorum. Sed ne tales quidem, si Germani natione aut Francogalli aut Poloni fuerunt, Latinis somniis indulgere solebant. Neque id mirum est neque ad Latinitatem pertinet. Si pelliculam aliquam Hollywoodianam spectamus, nos in Germania actores illos Americanos non Americane siue Anglice, sed Germanice loquentes audire solemus, quoniam ea arte interpretum, quae nunc barbatae synchronisatio vocatur, sermo ille nativus in nostrum conuersus est. Est id quidem gratum et commodum spectatoribus, sed naturae aduersum. Contra Morpheus siue Phantasus ille, qui secundum Ovidium somnia mortalibus fabricat, his artibus non utitur, sed obsequitur naturae. Ergo in somniis nostris nusquam lingua naturalis mutatur, sed etiam si maxime Latinam linguam amamus, cum eis tantum somniando Latinos sermones conserimus, qui nobiscum etiam in vitae veritate ea lingua utuntur. Quod, ut nunc sunt homines, rarius evenit, ut etiam in somniis praevalent linguae barbarae.

Quod si futuris temporibus olim id accidat, ut omnes aut plurimi homines iterum Latine loquantur, mutabuntur e magna parte etiam somnia. Sed illa tempora fortasse non tam speranda uidentur quam – somnianda.

Wilfried Stroh (Valahfridus)